

tertio fecit publici juris. Hanc anno decimo septimo
 Johannes Robertus, Jesuita, cultello anatomico secare &
 perfodere studuit. Non tulit Goclenius; sed cultro
 excusso, instituit Synarthrosin Magneticam: quâ ta-
 men minimè satis factum sibi, idem Robertus postea
 alio quodam Scripto redarguit. Utrumq; Joh. Bapti-
 sta Helmontius ille famigerabilis, & varii rumoris,
 anno vicesimo rejectit, disputatione anno *vicesimo*
primo Parisiis editâ. Non tamen neutras partes secu-
 tusest: stetit enim pro Sympathia; licet defensorem
 ut ineptum, impugnatorem verò, ut aculeispotius
 quam telis armatum, reprehenderit. Præter hos alii
 complures passim hac de re disseruerunt, ut Witt-
 chius, Gabelcoferus, Hartmannus, Colerus: & prolixè qui-
 dem Robertus Fludd de Fluctibus, refutatorem expertus
 doctissimum Kircherum, cum clarissimo Sennerto &
 Nardio hac in re facientem. A Kirchero tamen di-
 versum se ostendit P. Servius Archiater Romanus,
 peculiari Dissertatione de Unguento Armario. Tri-
 gesimus nonus seculi annus Erycii Mohy vidit libel-
 lum de Pulvere Sympathetico, quo curenur vulnera si-
 ne applicatione medicamentorum ad partem læ-
 sam, sineque superstitione. Anno quadragesimo sex-
 to in eandam arenam Italia Papinum produxit, scrip-
 torem Pulveris cujusdam Sympathetici, judicio so-
 rum judicio in pulvere non relinquendi. Non absi-
 mile huic in Gallia anno quinquagesimo nono edidit
 Illustris ille & ad Invidiam doctus Dominus Kenelmus
 Digbeus, Comes, & Regis Angliae quondam Cancella-

rius.